

Lepidopterorum Amboinensium

a

Dre. L. Doleschall

annis 1856—58 collectorum

s p e c i e s n o v a e

diagnosibus collustratae

a **Dre. C. Felder.**

II. Heterocera.

A.

Sesiidae, Sphingidae, Zygaenidae, Drepanulidae, Saturniidae, Aretiidae
et Notodontidae, adjectis Noctuidis limbatis et patulis Guenéeanis.

36. *Sesia phasiaeformis* Feld.

Alis hyalinis, anticis extus cyaneo nitentibus, costa strigaeque transversa nigris, limbo externo introrsum inciso fusco, subtus aureo striato, pedibus ♂ris intus flavidis, extus cyaneo-nigris, flavo maculatis, ♀nae fere omnino fulvis, abdomine ♂ris nigro, flavido annulato, cyaneo nitente, fasciculo anali nigro, flavido bistrigato, ♀nae aurantiaco.

• Coll. Felder. — Ad. sectionem *S. tipuliformis* L. pertinet.

37. *Sesia longipes* Feld.

Alis valde elongatis, flavido hyalinis, anticis certo situ cyaneo micantibus, costa, litura discali, renis discalibus, striis exterioribus inter venas margineque ante cilia nigris, palpis collari pedibusque anticis fulvis, pedibus intermediis et posticis aurantiacis, his tibia femore tripla longiore, tarso lon-

gissimo, supra versus apicem nigro parum jubato, abdomine aurantiaco, supra transverse nigro fasciato. ♂

Coll. Felder. — *Pedum posticorum mira structura ab omnibus congeneribus differt, in caeteris autem characteribus bene cum illis congruit. Venae medianae alarum posticarum ramus secundus praxime post cellulae extimum oritur cellulaque anticarum vena postice dividitur.*

Conopyga Feld.

Caput sat magnum, dense squamatum, vertice pilis brevissimis tectum. Antennae (♂ris) sensim incrassatae, laeves, rix subserulatae, setulis minimis sparsis obsitae, apice Lingua brevis. Palpi squamati, ascendentes, caput superantes, articulo tertio secundi incrassati dimidio brevior. Alae ut in Melittia formatae, sed vestitae, anticae vena subcostali quinquenervosa, ramo primo longe post cellulae medium oriente, vena discocellulari venas duas discoidales ramumque tertium medianum emittente, ramis medianis approximatis, secundo ad cellulae extimum. Alae posticae vena costali et subcostali valde approximatis, ramo secundo mediano ante cellulae extimum, tertio autem propius, quam primo, oriente. Pedes tarsi nudis, antici reliquis breviores, femore tibiaque duplo brevior dense jubatis, posteriores femoribus squamatis tibiisque squamato-hirsutis. Abdomen (♂ris) subrobustum, elongatum, laevigatum, segmento anali conico, ambitu pilis longis dense vestito.

Genus secundum alarum posticarum venas Melittis affine, antennis et pedibus jam sat diversum, abdominis vero formatione ab omnibus Sesiidibus mihi cognitis recedens.

58. Conopyga metallescens Feld.

Alis supra plumbeo-cyaneis, apud marginem externum fusco atomatis, subtus omnibus purpurascentibus, atomis plumbeo-cyaneis, posticis limbo interno hyalino, frontis lateribus albis, antennis, palpis, thorace pedibusque plus minus cyaneis, abdomine ochraceo, cyaneo annulato, villo anali nigro. ♂

Coll. Felder. — *Specimina tantum duo mutilata et abstersa ante oculos habeo.*

Pseudosesia Feld.

Caput sat magnum, squamatum, vertice pilosum. Antennae costae dimidium superantes, sensim in claram arcuatam apice fasciculatam incrassatae, ♂ris intus breviter lamellatae, apice autem nude. Lingua breviuscula. Palpi omnino ut in Conopyga. Alae hyalinae, anticae ut in Sesiis formatae, vena subcostali quinquenervosa, ramis ut in Conopyga positae, vena discocellulari venas duas discoidales ramumque tertium medianum emittente, ramis reliquis medianis valde approximatis, ut in Melittia, secundo ad cellulae extremum emisso. Alae posticae anticis multo latiores, vena costali et subcostali valde approximatis, ramo secundo mediano tertio approximato, ante cellulae extremum oriente. Pedes tarsi nudis, antici breviores, femore tibiaque duplo breviora dense fasciculato pilosis, posteriores femoribus longe pilosis tibiisque squamato-hirsutis. Abdomen (♂ris) gracile, compressum, squamatum, fasciculum analem ut in Sesia formatum gerens.

Alarum anticarum venis genus hoc Melittiae Hübn. accedit, posticarum autem et palpis Conopygae, ab ambabus autem antennis abdomineque gracili, ut in Sesiis formato, a Melittia pedibus insuper, optime differt.

59. Pseudosesia insularis Feld.

Alis hyalinis, anticis costa, margine interno, striga transversa limboque externo introrsum inciso nigris, posticis litura disci margineque omni anguste nigris, frontis lateribus albis, palpis nigris, subtus flavido atomatis, thorace abdomineque nigris, cyaneo atomatis, hoc albido annulato, tarsi anticis flavidis. ♂

Coll. Felder. —

60. Melittia amboinensis Feld.

Alis hyalinis, anticis costa, margine interno, fascia transversa limboque externo glauco parum atomato nigris, collari linea plumbea cincto, thorace subtus cum palpis albido squamato, pedibus intermediis et posticis nigris, glauco fasciatis, his supra aurantiaco-, subtus nigro villosis, abdomine supra nigro, aurantiaco annulato, subtus ochraceo. ♂♀

Coll. Felder. — M. Bombyliforni Cram., cui valde affinis, minor.

61. *Macroglossa venata* Feld.

Alis hyalinis, nigro venatis, anticarum basi, costa, margine interno limboque externo (ad apicem latiore), posticarum basi margineque supra nigro-fuscis, antennis nigris, palpis supra nigris, subtus pallide fulvis, thorace abdomineque elongato, squamato supra ochraceo-brunneis, subtus cum pedibus fulvescentibus, fusciculo anali nigro, ad basin virescente, apice fulvo. ♂

Coll. Felder. — *M. fuciformi* L., qua tertia parte major, alarum forma et signatura similis, abdominis vero structura longe recedens.

62. *Macroglossa Pylene* Feld.

Alis anticis supra virescenti-brunneis, strigis binis basalibus tribusque discalibus transversis subrectis obsolete fuscis, plaga ante medium alteraque exteriori cano-violaceis, posticis supra luteis, striis duabus basalibus plagaque marginali fuscis, subtus brunneis, dimidio basali luteo strigisque tribus discalibus fuscis, capite palpisque supra cinereis, striga fusca, subtus albidis, thorace supra cinerascanti-brunneo, subtus cum pedibus pallide fulvescentibus, abdomine supra nigrescente, maculis trinis lateralibus fulvis, fusciculo anali nigro, apice fulvo. ♀

Coll. Felder. — *M. Corytho* Boisd. et *Sitienae* Boisd. Walker proxima, sed minor.

63. *Smerinthus amboinicus* Feld.

Alis cum thorace et abdomine brunneis, anticis subfulcatis, strigis quatuor basalibus, quinta obliqua discali tribusque exterioribus inferius in Sigmatis forma curvatis maculasque binas fuscas amplectentibus nigricantibus, posticis supra maculis totidem analibus fuscis, subtus strigis tribus nigricantibus, antennis ♂♀

Coll. Felder. — Propriam constituit sectionem, habitu et pedibus posticis bicalcaratis illi *S. Quereus* L., ejus staturam superat, affinem, palpis et alarum posticarum venis autem a caeteris etiam generis sui sectionibus sat discrepantem.

64. *Gynautoecera virescens* Feld.

Alis anticis nigro-virescentibus, venis dilutius marginatis, posticis plumbeo-virescentibus, singulis subtus macula basali san-

guinea, posticis ibidem vittis duabus anterioribus maculisque grossis inter venas atomariis nigris, abdomine nigro, subtus sanguineo annulato. ♂

Coll. Felder. — *G. papilionariae* Guér. secundum alarum formam affinis, statura minor.

Aphantocephala Feld. (Ἀφαντοσφα, inconspicuus, ἀφανής, caput).

Caput minimum. Collare bene distinctum. Antennae (♂nae) costae dimidium superantes, anguste bipectinatae. Alae elongatae, obtusae, singularum vena discocellulari angulum acutissimum margini externo alae oppositum formante, anticae posticis latiores, cellula discoidali suborata, versus basin valde angustata, vena subcostali quadriramosa (ramo primo et secundo ante, tertio post cellulae extremum orientibus), vena discocellulari suprema distincta, vena discoidali secunda et ramo tertio mediano unacum orientibus, ramis binis reliquis medianis ab hoc sat remotis. Alae posticae vena costali ad cellulae extremum emissa, ramo primo subcostali deflexo, secundo a vena discoidali sat remoto.

Genus *Lycomorphae* Harr. (*Pyromorphae* Herr. Schöff.) affine, sed characteribus supra datis distinctissimum.

65. **Aphantocephala Moluccarum** Feld.

Alis nigris, ciliis antennisque obscurioribus. ♀

Coll. Felder. —

Callidrepana Feld.

*Caput mediocre. Antennae (♂ris) breves, sat late pectinatae. Lingua brevis. Palpi breviusculi, caput aequantes. Alae ut in *Drepanis* formulae, anticae vena subcostali quinquerramosa, ramo primo et secundo ante cellulae extremum orientibus, hoc cum quinto angulato cellulam secundarium sat latum, superius angulum parvum reddentem formante, ex quo angulo nascitur ramus quartus versus apicem tertium emittens, vena discoidali prima ramo ultimo subcostali valde approximata, ramo mediano primo in cellulae medio oriente. Venae alarum posticarum et pedes ut in *Drepana Hamula* et ejus affinibus.*

A *Drepana* Lasp., cui valde affine, genus hoc praesertim antennarum et venarum subcostalium alarum anticarum dispositione revidet.

66. *Callidrepana saucia* Feld.

Alis pallidissime fulvescentibus, anticis supra vittis nonnullis anterioribus strigaeque postica obliqua brunneis argenteo atomatis, macula discali brunnea nigro marginata, antennis pedibusque fulvescentibus, corpore albido. ♂

Coll. Felder. — *Drepana argenteola* Moore *affinis huic videtur.*

67. *Attacus Crameri* Feld.

♂ Phal. Bomb. *Attacus Atlas* var. Cram. Pap. Ex. t. 381 C. 382 A.

Alis supra rufis, striga basali vix angulata alteraque discali (posticarum acute repando-dentata) albis, nigro cinctis, maculis externis flexuosis fulvis obsoletis, margine cervino (posticarum introrsum linea fusca obsoleta diviso), singulis macula discali nigro cincta, in ♀na magna trigona fenestrata, in ♂re autem multo minore, opaca flavicante, anticarum lunari, posticarum trigona, subtus omnibus multo pallidioribus, brunnescentibus, striga discali paginae superioris albida et latiore.

Coll. Felder. — Ab A. Atlante L., *cujus permultas varietates e diversissimis locis ante me habeo, non solum forma fenestrarum, sed etiam signaturis marginalibus constanter differt. Praecl. Cramerus marem t. e. optime figuravit.*

68. *Antheraea Rumphii* Feld.

♂ Rumph., *Herbarium Amboinense*, pars III. pag. 114 t. 75 D. 1)

Alis supra saturate luteis, ocello singularum fenestrato subelliptico, antice subtruncato, ante medium vena discocellulari persecto, annulis tribus coloratis cincto, striga communi exteriori lata purpurea, anticarum obliqua, continua, macula ad costae apicem nigra albaque terminata, posticarum paulum undulata, subarcuata alteraque ante eam obsoleta undata nigra, subtus omnibus pallide fulvescentibus, strigis tribus communibus obsoletis, prima ferruginea proxime post ocellum, alteris cinereis, corpore luteo, thoracis limbo antico cinereo, postice sinum formante. ♀

Coll. Felder. — *Gloriosa haec phalaena ab A. Mylitta Drury et Pernyi Guér., quibus major, characteribus supra scriptis perbene differt, ex figura autem praecel. Rumphii citata vix recognoscitur.*

1) Cf. Moore, *Cal. Lep. Ins. of E. J. C. II.* p. 386, 387, „one of the earliest notices of this Insect (A. Mylitta) or of a species very nearly related to it, is given by the venerable Rumphius“ etc.

Elachyophthalma Feld. (*ἐλαχῦς*, *minutus*, *ὀφθαλμός*, *oculus*).

Caput parvum, valde retractum. Oculi minimi. Antennae (♀nae) breves, sub late pectinatae. Lingua nulla. Palpi minuti, caput aequantes. Alae breviter ciliatae, integerrimae, anticae apice obtusae, margine externo convexo. vena subcostali quinqueramosa (ramo primo ad cellulae extimum oriente), vena discoidali secunda fere in medio venae discocellularis arcuatae oriente, ramis ultimis medianis approximatis, primo remotiore, posticae rotundatae, vena costali ad basin cum subcostali connata, dein costae valde approximata, post hujus medium desinente, vena subcostali longe post cellulae irregulariter clausae extimum ramificante, ramo tertio et secundo mediano valde approximatis. Pedes breves, setosi. tibiae posticorum calcaribus duobus apicalibus minutis. Abdomen (♀nae) subrobustum, alis posticis dimidio fere brevius, ano subbrilloso.

Genus ab omnibus Saturniidis jam habitu discrepans, Ocinarae Walker secundum alarum formam fortasse accedens.

69. Elachyophthalma tricolor Feld.

Alis utrinque nigris, anticis fascia abbreviata alba, posticis angulo anali luteo, antennis abdomineque nigris, ano luteo. ♂

Coll. Felder. — Magnitudo Sericariae Mori L., facies vero Cnethocamparum vel potius Orgyidarum.

70. Leucoma egeus Feld.

Alis parce squamatis, linea anteciliari ciliisque brunnescentibus, anticis acutis, corpore pedibusque albis. ♂

Coll. Felder. — A L. V-nigrum Fabr. angulo superiore cellulae alarum anticarum prominente ramoque subcostali primo posticarum ad cellulae extimum emissio differt, quare sectionem propriam constituit.

71. Leucoma subargentea Feld.

Alis dense squamatis, subargenteo-albis, anticis obtusis, antennis fulrescentibus, corpore albo, pulpis, pedibus anticis tarsisque pedum posteriorum fulvis. ♂

Coll. Felder. — A praecedente non solum forma alarum, sed etiam antennis latius et subcompressis pectinatis venaque discoidali alarum posticarum ramo tertio mediano magis approximata recedit, tertiam igitur sectionem format.

Anchyneura Feld. (ἄγχου, prope, νεῦρον, vena).

Antennae (♂ris) sat late pertinatae. *Palpi* dense jabuti, caput superantes. *Alae integerrimae*, anticae vena subcostali quinqueramosa, ramo primo in cellulae medio, secundo ante ejus extimum oriente, hoc cum quarto ad cellulae extimum emisso cellulam secundariam distinctam formante, tertio prope apicem alae a quarto emisso, vena discocellulari in medio evanescente, vena secunda discoidali ramisque duobus ultimis medianis sat approximatis, ramo primo mediano in alae medio oriente. *Alae posticae* anticis latiores, vena discocellulari angulum acutissimum in cellulam porrectum formante, ramis duobus subcostalibus proxime post cellulae extimum unacum orientibus, vena discoidali a ramis duobus medianis ultimis unacum orientibus sat remota. *Tibiae posticae* calcaribus quatuor sat longis.

Genus Laeliae Steph. valde affine, alarum autem venis medianis diversum.

72. **Anchyneura praecusta** Feld.

Alis albidis, anticis costa extimoque brunnescentibus, supra vitta terminali diffusa fusca. ♂

Coll. Felder. — Laelia coenosa Hübn., cui facies subsimilis, duplo minor.

Caenina Feld. (Nomen proprium.)

Antennae (♂ris) sat late pectinatae. *Palpi* squamati, caput duplo superantes. *Alae integerrimae*, vena discocellulari singularum angulum parvum formante, anticae vena subcostali quinqueramosa, ramo primo post cellulae medium, secundo ante ejus extimum oriente, hoc cum quinto angulato, ad cellulae extimum emisso cellulam secundariam sat latam formante, ex cujus apice nascitur ramus quartus prope apicem alae tertium emittens, vena discoidali primo ramo quinto subcostali et secunda venae medianae vulde approximata, ramis hujus rectis, aequaliter distantibus, primo paulum ante alae medium emisso. *Alae posticae* ramo primo subcostali post cellulae extimum oriente, vena discoidali ramo tertio mediano propiore, quam hic secundo, ramo primo mediano sat remoto. *Tibiae posticae* calcaribus duobus sat longis.

Dasychirae Steph. (Seleniticae Esp.) affinis, palpis autem sat discrepans.

73. *Caenina lymantrioides* Feld.

Alis brunneo ciliatis, anticis supra saturate brunneis, litura discali lunari albida, posticis ibidem nigricantibus. ♂

Coll. Felder. — Habitus Lymantriae disparis L., sed plus quam dimidio minor.

74. *Cispia unicolor* Feld.

Alis, corpore antennisque pallide luteis. ♂

Coll. Felder. — C. punctifascia Walk. major.

75. *Cispia dichroa* Feld.

Alis luteis, supra anticis fascia lata discali sinuata canu maculisque marginalibus obscure ferrugineis, posticis ibidem plaga interna obscure ferruginea, subtus unicoloribus.

Coll. Felder. — Specimen nostrum antennis abdomineque caret. Feminam fortasse C. unicoloris sistit.

76. *Cispia suffusa* Feld.

Alis saturate luteis, anticis ♂ris supra macula basali atomaria ferruginea, ♀nae extus inter venas obscure ferrugineo striatis, posticis hujus utrinque plaga interna obscure ferruginea.

Coll. Felder. — Praecedente tertia parte minor.

77. *Cispia pumila* Feld.

Alis corporeque pallide luteis, anticis supra saturatioribus, macula interna atomaria ferruginea. ♂

Coll. Felder. — C. unicolore duplo minor.

78. *Earias flava* Feld.

Alis sericeo nitentibus, anticis supra flavidis, posticis ibidem albidis, subtus omnibus albido-flavicantibus, corpore toto flavido. ♀

Coll. Felder. — Statura E. Cloranae L., sed alae latiores obtusioresque e facies Noctuidarum generis Xanthodis Gué.

Tortricomorpha Feld.

Caput mediocre. Antennae filiformes, costae dimidium superantes, brevissime ciliatae. Lingua mediocris. Pulpi validi, arcuati, capitis verticem duplo superantes, articulo tertio aciculari, nudo, secundi dimidium aequante. Alae elongatae, ciliatae, anticae apice obtusae vel subacutae, vena subcostali quinqueramosa, ramis tribus primoribus ante cellulae extimum orientibus, quarto et quinto e trunco communi post illud emissis, vena discoidali secunda a ramis medianis ultimis valde appro-

ximatis remotiore, plica submediana basi tantum venae medianae approximata, dein deflexa. Alae posticae anticis latiores, venis novem: vena subcostali longe post cellulae extremum ramificante, vena discoidali subcostali sat approximata, vena mediana inter ramum primum et tertium plus minusve angulata, hoc ideo quasi venam discoidalem sistente. Pedes validi, postici villosi, calcaribus quatuor tibialibus (internis sat longis). Abdomen (♂ris) alas posticas dimidio fere superans.

Genus Aretiidarum (divisionis Nycteolidarum Herr. Schöff.) a Chloephora Steph., cum qua levem habet affinitatem, jam venae discoidalis alarum posticarum positione diversum.

79. *Tortricomorpha atrosignata* Feld.

Alis brunneis, anticis subacutis, supra litura apicali obsoleta albida, posticis disco intusque hyalinis, supra macula cuneata atra, vena submediana divisa squamisque elatioribus formata, pedibus flavidis, albo villosis. ♂

Coll. Felder. — Eariade Clorana L. paulo minor.

80. *Tortricomorpha affinis* Feld.

Alis brunneis, anticis subacutis, supra litura apicali flavida, posticis disco intusque hyalinis. ♂

Coll. Felder. — Praecedenti valde similis, sed alae posticae absque macula atra. Ambae a congeneribus alarum forma corporeque graciliore recedunt.

81. *Tortricomorpha albifascia* Feld.

Alis fuscis, anticis fascia externa obliqua interrupta alba, subtus diffusa, pedibus albidis, tibiis tarsisque posterioribus fusco variegatis. ♂

Coll. Felder. — Hujus affines sunt plures species javanicae nondum descriptae.

Pentacлонia Feld. (πέντε, quinque, κλόν, ramus).

Caput mediocre. Antennae filiformes, costae dimidium vix aequantes, distincte ciliatae. Palpi fere ut in Tortricomorpha. Alae elongatae, ciliatae, anticae apice obtusae, vena subcostali quinquerramosa, ramis duobus primoribus ante cellulae extremum orientibus, tertio et quarto a quinto post illud emissis, ramis medianis sat remotis, plica submediana venae medianae valde approximata, ante ejus ramificationem subito deflexa et quasi

rumum quartum (scil. primum) medianum sistente. Alae posticae anticis paulo angustiores, venis octo: vena subcostali simplici, vena discoidali ei sat approximata, ramis medianis ut in Tortricomorpha. Pedes graciles, postici nudi, calcaribus quatuor tibiulibus longis, externis brevioribus. Abdomen (♂ris) alis posticis fere dimidio longius.

Genus Nyeteolidarum, a praecedente characteribus hiece datis bene dignoscendum.

82. *Pentacлонia uniformis* Feld.

Alis fuscescentibus, immaculatis, posticis supra obscurioribus, palpis pedibus et pectore flavescentibus. ♂

Coll. Felder. — Tortricomorpha albifascia, cui facie similis, quarta parte minor.

Cyme Feld.

Genus e divisione Lithosiidarum, Dolichae Walk. proximum, sed palpis caput superantibus, alis angustioribus, anticarum ramis duobus ultimis medianis sat approximatis, posticarum vena discoidali et ramo tertio mediano e trunculo communi post cellulae extimum orientibus, tibiis posticis brevius calcaratis abdomineque alas posticas superante distat.

83. *Cyme reticulata* Feld.

Alis pallide ochraceis, anticis fusco extus ciliatis, fuscis quatuor difformibus cano-brunneis, fusco cinctis, plus minusve anastomosantibus, corpore toto in utroque sexu ochraceo.

Coll. Felder. — Magnitudo Doliches hilaris Walk., cui signatura subsimilis.

84. *Cyme sexualis* Feld.

Alis corporeque pallide testaceo-rufis, anticis ciliis fuscis, supra limbo externo rufescente, punctis basalibus fuscisque quatuor cano-fuscis. ♂♀

Coll. Felder. — Praecedente tertia parte major, facie Calligeniae miniatae Forst. Mas in pagina superiore alarum posticarum arcolam elongatam subcostalem, squamis elatioribus rirescenti-flavidis formatam, subtus fasciculum pilorum in alarum anticarum margine interno renamque sub costalem posticarum incrassatam praestat. Alae etiam angustiores, quam in C. reticulata.

85. *Cyme efasciata* Feld.

Alis efusciatis, anticis ♂ris pallide-, ♀nae laete testaceo-rufis, posticis pullidissime rufescentibus, ciliis corporeque pallide testaceis.

Coll. Felder. — Species haec C. sexuali paulo minor ab hac et a C. reticulata ramo primo subcostali alarum anticarum renam costalem haud perforante recedit.

Tineopsis Feld.

Cymae valde affinis, sed alae longiores et angustiores, posticarum rami mediani aequaliter et sat longe inter se distantes, tertius et vena discoidalis unacum ad cellulae extimum orientes pedesque validiores et breviores.

86. Tineopsis saturata Feld.

Alis anticis supra luteis, litura basali fasciisque quatuor anastomosantibus fuscis, posticis fuscis, utrinque immaculatis, capite palpis thorace pedibus fusciculoque anali luteis. ♂

Coll. Felder. — Cyme reticulata plus quam tertia parte minor. Color ad Eutanen et Pitane Walk. spectat, cum quibus generibus haec nullam propiorem affinitatem habet.

87. Bizone impunctata Feld.

Alis albis, anticis impunctatis, supra strigis duabus maculaque apicis rufis, corpore albo, thorace supra cingulo rufo, fusciculoque anali fulrescente. ♂

Coll. Felder. — A caeteris congeneribus absentia punctorum nigrorum in alis anticis sat differt. Magnitudo et facies omnino B. puellae Hüb n.

Physetoene Feld. (φυσήτονος, inflatus, κνήμη, tibia).

Caput parvum. Antennae setaceae, crassiusculae, ciliatae, costae dimidium aequantes, triente basali incrassato, villosa. Lingua mediocris. Palpi squamati, minuti, caput aequantes. Alae elongatae, integerrimae, undique (ad costam quoque) ciliatae, ciliis costalibus densioribus et longioribus, anticae cellula valde angusta, obliqua, costae bitrientem aequante, vena costali rectissima, a costa sat remota, longe ante ejus medium desinente, vena subcostali triramosa, ramo primo arcuato, post cellulae medium oriente costaeque post medium desinente, secundo et tertio e trunco communi ad cellulae extimum emisso egredientibus, vena discocellulari intermedia abbreviata, sola recta, caeteris perobliquis, inferiore a venae medianae directione parum declinante, vena secunda discoidali ideo quasi ramum quartum medianum sistente. Alae posticae vena costali subdeflexa, venae subcostali ante ejus ramificationem sat approximata. Pedes validi, tibiis anticis inflatis, posticis sat longis, calcaribus quatuor mediocribus munitis. Abdomen (♀) alas posticas aequans.

Nudariae Steph. affinis, sed ab omnibus ejus sectionibus alarum anticarum renis, antennarum pedumque formatione distinctissima.

88. *Physetocneme ciliosa* Feld.

Alis albis, pellucidis, albo ciliatis, linea in omni margine anticarumque strigis sex macularum (intermediis abbreviatis, sexta marginali) brunnescentibus, antennis albis. ♂

Coll. Felder. — Nudaria mundana L., cui valde similis, paulo major.

89. *Eusemia Doleschalli* Feld.

Alis utrinque nigro-fuscis, violaceo micantibus, anticis dimidio basali plumbeo irroratis fasciaque abbreviata disculi in ♂ re alba, in ♀ a aurantiaca, ano aurantiaco.

Coll. Felder. — Secundum alarum formam E. luctiferae Boisd. affinis, major autem.

90. *Nyctemera Menes* Feld.

Alis fuscis, anticis macula basali cuneata fasciaque sinuata disculi albis, posticis albis, limbo sinuato fusco. ♂

Coll. Felder. — Affinis N. Agagli Boisd.

91. *Nyctemera confluens* Feld.

Alis albis, anticarum renis, maculis tribus costalibus limboque externo brunneis, confluentibus, hoc albo quinquemaculato. posticis limbo brunneo, albo bimaculato. ♂

Coll. Felder. — N. speculari Walk. affinis videtur.

92. *Syntomis vicina* Feld.

Tota nigra, alarum anticarum plaga bipartita maculisque duabus elongatis bipartitis, posticarum macula interna hyalinis, thoracis maculis duabus humeralibus abdominisque pluribus lateralibus flavis.

Coll. Felder. — S. Imaone Cram., cui valde affinis, tertia parte minor.

Ctenandra Feld. (πτείς, pecten, ἀνήρ, mas).

Antennae breves, ♂ ris anguste bipectinatae, ♀ nae subtus bifarie lamellatae, lamellis basi et apice brevioribus, singulis setam gerentibus. Lingua brevissima. Palpi brevissimi. Alae elongatae. ♂ ris latiores, anticae rena subcostali quinquerramosa, ramo primo post cellulae extimum oriente, secundo et tertio a quarto emissis, rena discoidali prima sat remota, secunda ramo tertio mediano approximata, ramo mediano secundo huic propiore quam primo. Alae posticae renis tantum sex: rena costali et discoidali omnino absentibus, rena subcostali simplici,

ramis medianis aequidistantibus, vena mediana primaria inter ramum secundum et tertium oblique sursum directa. Pedes ut in Naclia. paulo autem robustiores. Abdomen ut in hoc genere, sed robustius, alis posticis fere duplo longius.

Genus divisionis Syntomidarum, antennis jam bene dignoscendum.

93. Ctenandra naeloides Feld.

Alis brunneis, anticis ♂ris maculis quatuor, ♀nae quinque albidis, posticis ♂ris supra immaculatis, subtus macula exteriori albida, ♀nae maculis tribus albis (prima interna maxima), antennis brunneis, capite palpis thoracisque medio lividis, pedibus abdomineque fuscis, hoc dorso lateribus ventrequelirido maculatis.

Coll. Felder. — Species colore signaturisque Naeliis, forma autem alarum Syntomidibus similis. Statura illam Naeliae Ancillae L. tertia parte superat.

94. Stauropus Melastomatis Dolesehall in litt.

Alis rufescenti-brunneis, supra lunulis marginalibus ferrugineis, anticis ad basin plaga cervina, ferrugineo cincta, litura maculaque discalibus elevatis aliisque exterioribus seriatis ferrugineis, posticis in ♀na basi, in ♂re dimidio postico albidis.

Coll. Felder. — S. alterno Walk. affinis.

95. Phalaera Amboinae Feld.

Alis brunneis, anticis supra basi, intus posticeque subargenteo atomatis, fuscis permultis lunularibus nigrescentibus, strigis duabus basalibus tertiaeque exteriori plagae apicali rufescenti-brunneae extus bisinuatae adhaerente nigris, capite ad verticem flavido plagaque antica thoracis ferrugineis, abdomine supra nigro, flavescenti annulato, subtus flavescente. ♂

Coll. Felder. — Ph. Sanganae Moore accedere videtur.

Ortholomia Feld. (ὄρθος, rectus, ὠμα, margo).

Caput sat magnum. Oculi nudi. Antennae setaceae, crassiusculae, costae dimidium aequantes, subtus bifarie lamellatae, lamellis linearibus, magnitudine decrescentibus. Lingua valida, medio-cris. Palpi capite duplo longiores, ascendentes, dense squamati, articulo secundo caput superante, incrassato, antice dense jubato-squamoso, tertio secundi dimidium aequante, graciliore, subacuto. Alae elongatae, cellulis clausis, costae

dimidium aequantibus, anticae margine costali et interno fere aequalis longitudinis. rectis. externo paulum convexo, vena subcostali quinquenervosa, ramo primo ante cellulae extimum oriente, secundo et tertio e quarto post cellulae extimum emisso prope apicem alae ascendentibus, quinto cum vena discoidali prima cellulam secundariam angustissimam formante, vena discoidali secunda in superiore parte venae discocellularis oriente, ramis medianis aequaliter approximatis. Alae posticae anticis latiores, vena costali in tridente suo basali venae subcostali valde approximata, ramo hujus secundo post cellulae extimum venaque discoidali in medio venae discocellularis haud angulatae orientibus, ramo secundo et tertio mediano e trunculo communi emissis. Pedes validi, posticorum tibiae calcaribus duobus validis. Abdomen (♂ris) sat angustum, alas posticas dimidio superans, dorso lateribusque fasciculatis, fasciculo anali deflexo, forcipato.

Inter genera Notodontidarum descripta Antaea Hüb. n. Herr. Schöff. maximam adhuc affinitatem cum nostro habet. Mugis autem affinia sunt alia phora americana, habitu Noctuidis quibusdam (Nystalea, Cueullia) valde similia.

96. *Ortholomia moluccana* Feld.

Alis cano-brunneis, anticis supra obscurioribus, violascenti-tinctis, strigis obsoletis fuscis, lituris duobus discalibus, macula parva versus angulum internum punctisque seriatis exterioribus (singulo dilute brunnescenti cincto) nigris, elevatis, margine interno nigro et dilute brunnescenti vario, subtus immaculatis, costa dilute brunnescente, apice striolis tribus fuscis notata, abdomine cano brunneo. ♂

Coll. Felder. — Antaea luturnà Cram. plus quam tertia parte minor et forma alarum valde aliena.

Hypolochma Feld.

Caput mediocre. Oculi nudi. Antennae (♂ris) costae bitridentem paulum superantes, setucae, breviter lamellatae, lamellis longitudine decrescentibus, in tridente apicali minimis. Lingua brevis. Palpi squamati, caput duplo superantes, rectissime assurgentes, articulis distinctissimis, secundo capitis verticem aequante, tertio longo, attenuato, subconico. Thorax scapulis distinctis. Alae breviusculae, integerrimae, anguste ciliatae, anticae ad basin dense elateque squamatae, subtus fasciculo

pilorum sat longorum prope basin instructae, cellula discoidali minuta angusta, alae trientem aequante, vena subcostali quinqueramosa, ramo primo post cellulæ medium oriente, secundo et quarto e trunculo communi ante ejus extimum emissis, hoc in medio tertium emittente et cum quinto ad cellulæ extimum egrediente cellulam secundariam formante, vena discoidali prima ramo ultimo subcostali valde approximata, secunda infra renulæ discocellularis medium oriente, ramis duobus ultimis medianis ab hac et inter se aequaliter distantibus, ramo primo paulo remotiore, longe post cellulæ medium emisso. Alae posticae anticis latiores, cellula alae trientem aequante, latiore, vena discocellulari tenui, sed distincte angulata, vena costali in cellulæ medio oriente, ramo primo subcostali paulum ante cellulæ extimum ascendente, vena discoidali ramis medianis sat approximata, horum secundo et tertio e trunculo communi post cellulæ extimum emissis. Pedes sat longi, validi, squamati, posticorum tibiae calcaribus quatuor longis. Abdomen squamatum, ano fusciculato-pilosum, alas posticas triente superans.

Genus Notodontidarum alarum anticarum mira structura et venis distinctissimum, nulli mihi cognito propius accedens.

97. *Hypolochma sericea* Feld.

Alis corporeque pallidissime cano-brunneis, sericeo nitentibus, anticis supra in dimidio basali squamis multo densioribus cinereis tectis, albido atomatis, fasciaque angusta recta brunnescente, nigro cincta persectis, subtus unicoloribus, fasciculo pilorum nigro. ♂

Coll. Felder. — Facies Cymatophoridarum. Magnitudo Demadis Coryli L., cui signatura etiam paulum similis.

98. *Ophideres Caesar* Feld.

Alis anticis supra saturate ferrugineis, glauco-violascenti variis, vitta lata discali medio subangulata, in ♂ re lunula etiam postica adjecta virescentibus, subtus fusciscentibus, violaceo suffusis, limbo interno fasciaque discali abbreviata lutescentibus, posticis utrinque pallide luteis, limbo terminali fusco subtus violaceo tincto.

Coll. Felder. — Species venusta, magnitudinis O. Proci Cram., signaturis alarum anticarum O. Ancillae Cram. similis.

99. *Potamophora amboinensis* Feld.

Alis supra fuscis, anticis ferrugineo tinctis, extus glaucescenti rariis, striga obliqua rectissima glaucescente, maculis ordinariis distinctis punctisque duobus adjacentibus brunnescentibus, posticis supra fascia lata discali abbreviata, pallide cyanea, subtus omnibus lactioribus, anticarum fascia subcurrata abbreviata, posticarum striga lata discali rix undulata albidis. ♂

Coll. Felder. — A P. Manlia Cram., cui affnissima. fascia in pagina inferiore alarum anticarum et superiore posticarum strigae in harum pagina inferiore rix undulata multo latioribus differt. Facile eam varietatem localem speciei supradictae existimarem, sed ex Amboina ipsa specimina feminina omnino cum P. Manlia typica congruentia accepi.

100. *Potamophora albata* Feld.

Alis anticis supra brunneis, plus quam dimidio basali cano tinctis, maculis ordinariis grossis flavidis, macula supra venam submedianam, litura brunnescente notata strigaeque transversa obliqua, extus subconcaua fuscis, posticis albis, undique fusco limbatis, subtus omnibus concoloribus, anticarum macula discali fasciaeque lata abbreviata, posticarum pagina omni (exceptis margine toto interno limboque externo) albis. ♂

Coll. Felder. — Nisi, marem et feminam P. Manliae Cram. colore et signaturis sat inter se congruere, scirem, hanc praecedentis marem putarem

101. *Anisoneura sphingoides* Feld.

Alis amplis, anticis ♂ris fere integerrimis, posticis ejusdem sexus sat profunde sinuatis, regione anali truncatis, omnibus in utroque sexu fuscis, violaceo tinctis, supra strigis tribus communibus perobliquis nigricantibus, rufescenti-brunneo cinctis, prima discali secundaque exteriori latiore angulosis, tertia antemarginali repanda, anticis linea concolore distincta flexuosa subbasali, macula orbiculari pone hanc, nigricante, obsoleta, reniformi in ♂re distincta, late rufescenti-brunneo nigroque cincta (cinguli brunnei eximo inferiore flavido) subtus omnibus strigis tribus communibus obscurioribus, posticis rittis ante venas singulas obscuris.

Coll. Felder. — A. Zenzeroides Gué. valde affinis videtur, sed secundum hujus descriptionem colore maculae reniformis, linea una tantum antemarginali distincta paginaque inferiore strigis (in posticis rittis etiam) persecta differt.

102. *Patula Cyclops* Feld.

Alis utriusque sexus fusciscentibus, supra strigis quatuor communibus subflexuosis, continuis, obscurioribus (tertia versus costam et marginem internum alarum anticarum fasciolam formante), anticis macula ocellari magna, bene orbiculari, striga helicina lata continua amplexa, subtus maculis exterioribus in fundo nigricante inordinate digestis aliisque obsoletioribus angustissimis subtrigonis prope marginem albis.

Coll. Felder. — Species optima, P. Macrope L. Cram. major et colore utriusque sexus pallidior, haud nitente, forma orbiculari maculae ocellaris, strigis margini magis approximatis, continuis et haud macularibus, fasciola costali anticarum longiore et angustiore, absentia macularum inter strigas duas ultimas in pagina superiore posticarum maculisque in pagina inferiore minoribus (submarginalibus multo angustioribus) constanter discedens, ut plurimis utriusque insecti speciminibus comparatis persuasum mihi habeo.

103. *Argiva acrotaenia* Feld.

Alis ♂ris supra atro-fuscis, ♀nae brunneis, anticis utriusque sexus utrinque fascia subapicali subarcuata, a costa fere usque ad marginem externum extensa, in ♂re angustiore lutescente, in ♀na albido-fluvicante, macula reniformi (in ♂re obsoletiore) angusta, inferius bifida, cum striga adjecta helicina (in ♀na usque ad marginem internum posticarum porrecta) ellipsin formante, singulis ♀nae utrinque striga disculi flexuosa in fundo nigro-fusco maculaque adjacente flavescentibus, striga exteriori maculari refracta fusca.

Coll. Felder. — Species affinis A. hieroglyphicae Drury, sed signaturae helicinae fasciolaeque alarum anticarum latioris forma secundum plurima specimina comparata manifeste diversa.

104. *Spirama remota* Feld.

Alis ♂ris utrinque nigro-fuscis, anticarum striga exteriori recta punctisque postpositis nigriscentibus, ♀nae supra carneo-brunnescentibus, lineis binis communibus submarginalibus fortiter angulosis nigris, anticarum fasciola angulata basali, strigis duabus pone discum, distincte angulosis, subobliquis, arcuatis, nigrescentibus, tertia externa geminata fusca, posticarum fasciis tribus discalibus nigro-fuscis (tertia extus late albido cincta) strigaeque exteriori tenui albida undique late nigro-fusco marginata, subtus omnibus luete testaceis

strigis tribus communibus fuscis (intermedia multo angustiore), maculae reniformis alarum anticarum parte dilatata in utroque sexu orbiculari, atra, in ♂na u strigis duabus discalibus sat remota.

Coll. Felder. — Femina hujus S. Isabellae Guér. proxime accedit, sed maculae reniformis colore, strigis discalibus anticarum ab illa sat remotis strigarumque in alarum posticarum pagina superiore formatione facile dignoscitur.

105. *Hamodes pallida* Feld.

Alis pallide ochraceis, striga communi postica fusca, supra tenuissima, anticis graciliter subfulcatis, supra macula orbiculari punctiformi, nigricante, reniformi distincta, brunnea, nigrescenti cincta, corpore ochraceo. ♂

Coll. Felder. — H. propitiae Guér. affinis videtur.

A d d e n d a:

106. *Pamphila Prusias* Feld.

Alis ♂ris supra ferrugineo-fuscis, ♀nae obscurioribus, utriusque sexus basi ferrugineis, anticarum fascia submaculari, posticarum fascia postica in ♂re ferrugineo-fulvis, in ♀na fulvescentibus, subtus omnibus ferrugineis (♂ris saturatioribus), anticis fascia paginae superioris, in ♂re areola interna, squamis carente, nitida prope basin, posticis macula majori postica, cum fascia anticarum concolore.

Coll. Felder. — Statura et forma P. Augiadis meae, cujus feminam putari. Non multo autem post editionem primae harum diagnosum partis, ex Manila plurima specimina et masculina et feminina hujus speciei Amboniam etiam incolentis recepi.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaften mathematisch-naturwissenschaftliche Klasse](#)

Jahr/Year: 1861

Band/Volume: [43](#)

Autor(en)/Author(s): Doleschall Carl Ludwig, Felder Cajetan Freiherr von

Artikel/Article: [Lepidopterorum Amboinensium. 26-44](#)